



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

cvi. Ad cruditatem & nauseam alia remedia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

*Ad nauseantem.*

**L**ASER & suillam carnem aqua conspergito, eius cibatus tesselatim dato, & quamdiu cibum fastidit, tamdiu simili aqua carnem inspergito.

*Ad eum qui euomit cibum.*

**E**VOMVISSE cibum cognoscitur accipiter ex eo quod tristis est. Curatur ita. Folij partem vnam, & costi tantundem, piperis grana duo, in vnum tunsa, & cum melle subacta edenda præbeto.

*Ad cruditatem & nauseam, alia remedia.*

**S**I cibi permanent in stomacho crudi, eosque non euomuerit, vsque ad decimam diei horam nullus cibus est ei dandus, sed tantum aqua tepens cum oleo & sale in illius os infundenda est, aut aqua marina tepesfacta, & ita post horam aluum deijciet, & adiuuabitur: deinde eidem passeruli duo, troglodytæ appellati viui obiiciendi. Sed si ante cibum euomuerit, nihil dandum, nisi sola tepens aqua mista cum oleo: postero die gallinacei pulli vino potati, cibatus, & potui sanguis dandus.

Ac si comedere non valeat, solum sanguinem bibat. Quod si nihil horum profuit, murem aut vespertilionem ei dari conueniet, & reficietur.

*Adhuc de vomitu.*

**B**VTYRVM mel, spuma nitri, nigræ columbæ fimus, lumbrici, qui ad filum tandiu pependerit, dum sint arefacti, lotium humanum, vini paulum. omnia misceantur, hisque caro conspersa detur accipitri. Sunt qui vespertiones quinque interficiant, ipsorumq. sanguinem vitreo vase exceptum arefcere sinant, & minute tritum seorsum seruent, vsque dum vsus necessitas requiret: tumque tres alias vespertiones vino veteri odorato madefactas, & prædicto puluere conspersas dent accipitri comedendas.

*Ad male affectum iecur.*

**E**X iecinore laborans accipiter, aut à canibus laceratus, cognoscitur ex eo, quod tristis videtur, & pedes liuidos habet. Remedio est eruum læuigatum, subactum cum melle, in parui pastilli formam redactum cibatus datum, vel axungia